

5918.

9.

REVER. ET DOCTI V.
IOHANNIS
FLASCHNERI

VRATISL.

ECCLESIAE SVVIDNIC.

PRIM. DIACONI

Nuptiis, quas
cum

VIRGINE HONORATISS.

MARGARETA

Rever. & Cl. V.

M. FRID. HOLSTENII

Ejusd. Ecclesiae Pastoris
filiâ



PRID. NON. MART. MDCL.

SVVIDNICII CELEBR.

ab amicis consecrata

EPITHALAMIA.



Typis Lig. Sartorianis.



Lit. Lat.
rec. A.
393,38

Aus der
Schloßbibliothek zu Oels
1885

Prima & antiquissima nuptiarum
Solennia.



*Mnia qui numero, mensura & pon-
dere certo*

*Disposuit, vitæ constituitq̃
gradus,*

*Consultum non est, DIXIT, sine compare vitam
Solutus ut in terris transigat omnis homo :*

*Aequum est, ut nostro mystæ fabricemus Adamo
Sponsam, quæ præstet munia grata viro.*

*DIXIT, & extruxit præstanti corpore nympham,
Omnigenis animi quæ foret auclæ bonis.*

*Protinus hanc DVXIT, proprio junxitq̃ marito,
Fecit & unius corporis esse duos.*

*Deniq̃ legitimè junctis BENEDIXIT, & auxit
Multiplici sponso dotis honore novos.*

*Sic DICENTE Deo es factus Iane optime Sponsus,
Sic DVCENTE Deo Sponsa reperta tibi est.*

*Sic BENEDICENTE hoc ipso, bona debita fausto
Conjugio, tibi quod pollicearis habes.*

*IHOVA Deus largè vobis benedicat, & omni
Corporis atq̃ animi prosperitate beet.*

ANDREAS BAUDISIVS
Ecclesiæ Petro-Paul. P.
suo ex sorore nepoti cariss. fac.

Navicula

N A V I C V L A
H Y M E N A E I.

Sint prora, puppis, sint vela secunda carinae
Sponse tuae Sponsae nobile pectus A M A.
Navita sit Christus, Numen spirabile ventus,
Antenna in placido fœdus Hymenq; freto.
Charum pectus A M A, Crux Conjugis exulet usu,
Irati pelagi murmura planet Amor.
Vrat Amor, quò cura magis te flebilis urit,
Vrat, seu thalamum turbo flagellet, Amor.
Hinc te Sponse vehat nullis ratus ic̃ta procellis,
Hinc Sponsa in tumidis Anchora tuta vadis.
Vos nulla Syrtes mergant, vos nulla Charybdis,
Nec ferat in Pacis littore Scylla metum.
Duret Amor, mea vota piis sint consona votis
Ut Pylios annos det sine Nube D E V S.
Allidant nullis scopulis pia pectora, Portus,
A Equor ubi surgit, sit sine felle torus.

D A N I E L S C E P S I V S D.

V O T V M A D
C H R I S T V M.

Sacra maritalis thalami Flaschnerus adornat:
Conjugio benedic Christe, faveq; novo.
Qui Paradisiacis Evam paranympus in hortis
Iunxisti socio fœdere primus Adæ,
Atq; humiles Cana dignatus visere tedas,
Mutasti, ut fieret, quæ fuit unda, merum,
Casta placere probans tibi connubialia, teq;
Conjugibus prestò velle venire piis.

Christe fave, est tibi res grata hac, est utilis orbi,
Humanum firmâ crescere stirpe genus.
Namq; colens terras, mundumq;, Deumq; remoto
Conjugio, tempus per breve, nullus erit.
Viq; almi vitam nobis tribuere parentes:
Vita aliis sic nos munia ferre decet.
Nec fas nasci illum, per quem non gignitur alter,
Aut gigni, alterius qui negat esse parens.
Conditio cælebs fido sine compare tristis:
Gloria vir nuptæ, nuptæ corona viri est.
Christe fave, ac sacro cæpta hac spiramine firma,
Et procul Asmodi tela dolosq; fuga.
Ipse faces castas succende, ipse aggere flammâs,
In quas nil Boreas, nil fera possit hyems.
Irresolubilibus constringito pectora vinculis,
Iurgiaq; hoc remove litigiosa toro.
Sit par ambobus studium, sit mutuus ardor,
Vnaq; mens gemino corpore, & una fides.
Nec nisi velle & nolle eadem; succrescat ad annos
Nec cum rugosâ fronte senescat amor.
Vlla nec affligat discors contentio vestram,
Nec fera tempestas, sors nec iniqua, domum.
Christe fave, & rata fac vota hac mea; sic ego per te
Conjugibus tulerim munera magna novis.

Votum aliud.

SARA quod Abramo, Rachel formosa Iacobo,
Eva Ada, Isaaco casta Rebecca fuit.
Davidi Abigail, fortis Iuditha Manassa,
Et Ioachime tuo casta Susanna toro:
MARGARIS hoc tibi sit Flaschnere Holsteinia, consors
sedula & ad nutus officiosa tuos.

*Conjugii ipse autem sacri dux, praeses & auctor,
Faxit ut haec rata sint, quae fero, vota, Deus.*

TOBIAS FISCHER, Philos.
& Medicinæ Doctor.

I. P E T R I 2.

Hominum vivorum lapidum
Lapis vivus Christus.



*Vr, FLASCHNERE, tibi delecta HOL-
STENIA sponsa est?*

An Pyrrham generi quaeris amice tuo?

An verò lapidum vivorum, cura docenti

Qui tibi, quae moneat nomine habere cupis?

Sed commenta suis valeant cum vatibus illa:

Prævaleat CHRISTVS vivus ubiq; LAPIS.

Dilige delectam HOLSTENIAM, nomenq; secutus

Christo FER LAPIDES, saxaq; viva lege.

Sic Ecclesiolam firmabis mœnibus amplis,

Collectis saxis, edibus, æde sacra.

M. NICOLAUS LUDOVICVS.

Ad Rev. Clarissimosque Viros

Dn. ANDR. BAUDISIUM &

SIMONEM GRUNAEUM,

de auspiciatissimis nuptiis

Viri Rever. & erud.

Dn. Iohannis Flaschneri ac

Margarethæ Holsteniæ.

Poschs

Poscis epos thalamo *ANDREA* geniale
NEPOTIS,
LABANI Charites o *SIMO* poscis idem.

Vestra utriusque mihi quei sint hortamina parvi,
Protelum HOLSTENII cum quoque subdat amor,
Cuius mens, pietas, Artes, facundia, virtus
Cognita mi dudum, dudum & amata fuit ?
Omnium at horarum non est res esse Poetam,
Nec venit ad quasvis Calliopéia preces.
Sape Deam voto nil proficiente vocavi;
Haecenus a metris est aliena meis.

Ne tamen a vobis proclamer a symbolus atque
Spretor amicitiae pollicitique dati :
BETHLIDOS hoc Sponsis a me recitabitis omen,
Quod cecinit thalamis pompa, BOHASE, tuis :
IOVA Lea similem reddat similemque Rahéla,
FLASCHNERI ingreditur qua penetrale, nurum.
Et velut haec matres gentem exstruxere IACOBI :
Sic tibi, IANE, domum MARGARIS aedificet.
Eia age par junctum bene cresce feracibus annis,
Cresce opibus, fama cresce decore diu.
Mania te patriae Sponsum Sponsamque celebrent
Atque nepotum omnis clarè habitet suboles.
Denique sit domus haec domui adsimulanda Perezi,
Adferitur Iudae quem genuisse Thamar.

M. LAVBANVS operâ extempo-
raneâ bene ominans fac.

MARGA-

MARGARIS ut sponsum, sic sponsa GRATIA cepit,
Hæc anima, læsi corporis illa salus.

MARGARIS ut mira SORTIS virtute venenum,
Sic MORTIS Christi GRATIA tollit onus.

Divinum sacris thesaurum viribus ipse
Sponsus, & ipsa petit Sponsa, Fidelis AMOR.

Hoc Deus, hoc fidei confirmet fœdus AMORIS,

Hoc summum ut castè servet UTERQUE bonum.

M. IOHAN. BRACHMAN
Scholæ Fraustad. Rector.

Pronuba si Venus est tibi, si tibi pronuba Iuno,
Quid facit ad tædas ipse Iehova tuas ?

Sin tibi conjugii est, Flaschnere, Iehova patronus,

Quid facit ad thalamum Iuno Venusve tuum ?

unde tibi ergo tuam rear obvenisse maritam ?

unde ? nisi à vero, quem colis usq, Deo.

unde tibi ergo precer, quæ fas tibi summa precari ?

unde ? nisi à solo, à quo bona cuncta, Deo.

Ipsè tibi quod Ihova dedit, tibi servet Ihova,

Hoc voveo : ulterius numquid aves ? satis est.

S. GRUNAEUS.



Quia



*Vid? an dies maris per omnes Caspii
Vexant procella murmura?
Ah horridis ô Morta acerba gressibus
Ah flebiles dabas modos!
Vbi aetheris favorem, amorem fervidum,
Sacra decus scientia,
Et omnium quos esse Corculis datum est,
SE NEM verendum tolleres;
Quin fila nuper derepentè rumperes
Vix ducta nendo FILII,
Quem virgo, diva virgo quem puerperi
Iovis cerebro condita
Beârat elegantioris ingeni
Bonis, lepore, gratiâ.
Sed haud dies maris per omnes Caspii
Vexant procella murmura.
Equos reducit hispidos & summovet
Salo soloq; Lucifer.
Tu, amice I A N E, rursus, auctus ubere
Honorum adorea, tuo
Amore, gaudii, favore Numinis,
Adflas Loco Favonium,
Flammâ Dioneâ medullitus cales,
Cupisq; & optimam capis;
Cupis capisq; filiam viri sacrum
Qui lirât usq; triticum, &
Quos Luna, Vulcanus, Dies, Sol, quatuor
Dii intuentur optimos
Inter, bonos & eruditos claudier
Sagace curâ demeret.*

B

Factum

*Factum optimum ! fraudi fuit nec quod dares
Sub colla Cypridos jugum.
Amarum amare, ni simul detur frui :
Amare dulce si frui !
O lux refulgens ergo quinta Martii
Tibi sit alba; MARGARIS
Qua copulare dexteram parat tua
Fidemq; firmat dextera !
Viden ? quod est rotundus unio annulo,
Tuo toro iste ocellulus.
Cor Margarita roborando in pulveres
Redacta alexipharmacii
Vires juvant : sic MARGARIS cordi tuo,
Tuâ fide, addet robora,
Ronchos dabit fortuna quos ut fortior
Hili piliq; pensites.
Sed pluribus quid SPONSE mellitissime
Quid o tuas moror faces ?
Ames, ameris, ardeas, uras simul,
Eris nec ulla te avocet.
Vivas diu benè atq; vite prabeas
Beatioris formulam.
Vive, inquit, tibi, TVAE, atq; Ecclesiae
Parata, grata ediffere.
Vovi. Dabit, qui cuncta, caetera omnia.
Semper valet CONIVGES.*

M. BARTHOL. STIRIVS,
Scholæ Svidnic. Rector.

Dum

Dum sacra divini Flaschnere volumina libri
 Volvis & attenda singula mente notas.
 Ecce Cupidinea lasum te cuspide sentis,
 Ritè doles medicam vix habiturus opem.
 Scilicet est Veneris tam dira licentia nati,
 Impunè ut fraudes nectat & arte dolos.
 Lumine sit captus licet, & malè dirigat arcum,
 Non tamen incassum tela facesq; jacit.
 Querit opem frustra medicam qui surgit ad artem,
 Namq; alio sana est vita petenda loco.
 Phæbus & ipse suis quondam desertus ab herbis,
 Falsus erat prudens artis ab arte sua :
 Condoluit, viresq; sui damnavit amoris,
 Cum tamen hic placida mente ferendus erat.
 Nam scelus in tantum puer hic non proruit, eius
 Facta nec ut credunt tam grave crimen habent.
 Non secus ac quondam repetenda causa salutis,
 Quæ dederat vulnus, Pelias hasta fuit :
 Sic tela extemplo sevig; Cupidinis arcus,
 More suo subitam vulnus opemq; ferent.
 Sævit & in teneram solito fervore puellam,
 Hæc simili tecum pressa dolore dolet.
 Nempe sua sortis varios miserata labores,
 Vulneris insveti nescit habere modum :
 Quam puer, indignas moveat ne forte querelas,
 Consilio potius vult monuisse suo.
 Alter ut alterius petat alterna arte salutem,
 Sic possent fato prosperiore frui.
 Namq; pari in luctu placidos decet esse sodales,
 Mitior ut socio naufragus esse solet.
 Audiit hæc subito pueri commenta, quid obstat
 Quo minus antiquum protinus adsit, ait.

*Nec mora, junguntur fidei ceu pignora dextra,
Qua valido nexu corpora bina ligant.
Haud quicquam restat nisi, clamat ore Cupido,
Corpore facundo consociare toro.
Blanda puer socio qui pectora jungis amore
Et facis innumeros vivat ut ille dies,
Hac bene firmato duo corda ligamine stringas,
Et cave ne vincat Martis iniqua soror.
Inde tibi palmas victori tendet utraq;
Officii merces digna triumphus erit.*

Amoris ergo suo intimo faciebat
VALENTINVS EISFORT.



O D E G R A T V L A T O R I A

In honorem Conjugii

R E V E R E N D I V I R I D N.

I O H A N N I S

F L A S C H -

N E R I,

E C C L E S I A E S V I D N I C I E N S I V M

D I A C O N I, S P O N S I

E T

Virginis lectissimæ pudicissimæque

M A R G A R E T H A E

Reverendi & Clarissimi Viri Dn.

M. Frid. Holstenii

Pastoris apud Suidnicenses

dignissimi Filia,

Sponsæ.



Iccine intendens pharetratus arcum,

Fama ceu totâ volat urbe, certo

Cypria gnatus duo laesit iclu

Corda Cupido?

Ambo quæ venère locis remotis,

Longius sponsus, propiusq; Sponsa,

Urbe in Aprugnâ solidas profecti

Figere sedes.

Ambo

*Ambo securi thalami jugalis :
Fallit incautos puer, & latentes
Suscitat flammās, & amore pectus
Ardet utrunq;*

*Fallor, & fato meliore virgo
Iungitur Sponso face nuptiali
Digna : tu tædis quoq; dignus ipse es
Sponse petitis.*

*Scilicet vanum est Cytherea numen,
Nec faces quicquam pueri, nec arcus
Cypridos possunt; jacet hîc sepulta
Conjuga Iuno.*

*Ipsè succendit socialis author
Fæderis castas sed amore mentes
Iova : cælesti venit axe missa
Pronuba flamma.*

*Christe sis dexter paranymphe Sponsis,
Ordinis vindex nova vota firma,
Qui tuum latè serit, & propagat
Nomen in orbe.*

*Fata fac vincant Niobea Sponsi
Corporis sani : pariles amore
Mutuúm certent, animisq; letis
Tristia pellant.*

**M. SEBASTIANVS MENT-
ZELIVS Scholæ Suidniciensium
Conrector.**

NOTH-

Π Ο Τ Η Ρ Ι Ο Ν Γ Α Μ Ι Κ Ο Ν .

Baccho

Sacrata, Bacchæ

Et Satyri ut colunt

Fausta, boantes.

Novem Sorores, agminatim,

Suavi voce canūt, suave melos:

Et parata, Sponse, tibi tuæque

Sponse, facietas, donaque merita,

Phæbi mandato sicce monente, ferunt.

Calliope suave Eloquium fert: hocce Sororis

Donū Melpomene mox gravitate juvat.

Inde Thalia sequens animi super addit honores,

Quos Erato dignos laudat amore bonis.

Terpsichore exhilarat: Clioque Encomia digna

Prædicat: Euterpe vivere dulce jubet.

Cum Polyhymnia, tum docta Dea Uranie

Nūciāt, sūmasq; memorāt ubiq; laudes.

Musarum Præses præcedit Apollo:

Gratiæ verūm Charitesque juncta,

Ordine justo

Ponē sequentes

Iussa facessunt.

Illis se comitem Napea nostra

Adjungens, imo pectore, Sponse, tibi

Margaridique

Plurima Sponse

Faustaprecatur:

Ac tot exoptat cæpto thalamo salutes,

Quot creat Ver purpureo colore

Flores: quot gravidas diffundit aristas

Æstas: Autumnus poma quot eximia

Suppeditat: quot hyems gelidas generatq; pruinas.

AD SPONSVM.

Pocula cum non sint argentea & aurea, dono
Chartea disparibus, Sponse, ligata modis :
Isthaec Musarum studiosae appone cohorti :
Illa sed hospitibus pone repleta mero.

Arithmologicum continens annum,
mensum, & diem

Ἰὼρ γαμῶρ.

1604
Martii VBI ILLVXI^{te} LVX qVInta aC-
Celsit IanI
ConCessos Sponsi sponsa petita toros.

ABRAHAMVS CHRISTENERVS
Crimmic. Misn.



Lit. Lat. rec. A
393, 38